

PROPOSITIO.

Contritio perfecta hominem semper Deo reconciliat priusquam sacramentum actu suscipiatur, quamvis sit in gradu infimo.

Prob. Scriptura sacra, concil. Trident., auctoritate SS. Pontificum, et ratione.

1^o *Scriptura sacra.* Ezech. xxxiii, 12 : *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit.* I Epist. B. Joan. iv, 15 : *Deus charitas est : qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* Unde sic : Qui habet charitatem perfectam, etiam in gradu infimo, vere est conversus et Deus manet in eo : ergo tunc nullum habet peccatum mortale.

2^o *Concil. Trid., sess. 14, cap. 4 :* « Et si contritionem » hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur..... » Si verbum *aliquando* effectum contritionis perfectæ ad aliquos casus non restringat, ut contendit *Estius*, in mente patrum Tridentinorum, contritio charitate perfecta semper justificat : at verbum istud effectum, etc., non enim dicunt patres contritionem charitate perfectam aliquando hominem Deo reconciliare, sed aliquando contingere contritionem charitate esse perfectam eamque tunc hominem Deo reconciliare. Nonne sensus est : Modo sit perfecta, quod aliquando contingit, hominem semper Deo reconciliat? Et vero, juxta *Palav.*, loquitur, patres Concilii decretum jam paraverant quo « dam- » nabatur quisquis negaret contritione qua pœnitens, di- » vina gratia per Christum cooperante, dolet de peccatis, » propter Deum, cum proposito confitendi et satisfac- » iendi, remitti peccata; » et ab illo abstinerunt, ne *Adrianum* et *Cajetanum* sententiæ oppositæ ad hærentes damnarent. Ergo.

3^o *Auctoritate SS. Pontificum*, videlicet Pii V. Gregorii XIII et Urbani VIII, qui diversis bullis damnaverunt sequentem propositionem *Bati*, n. 68 : « Per contritionem

» etiam cum charitate perfecta et voto suscipiendi sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra casum » necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione sacramenti. » His condemnationibus accedit censura Facultatis Parisiensis quæ, die 27 januarii anni 1560, plures propositiones eundem sensum habentes damnavit ut hæreticas. Ergo.

Notandum autem in textu Concilii et in censuris citatis nullam fieri mentionem de aliquo gradu intensitatis : ergo species etiam in gradu infimo sufficit.

4^o *Ratione.* 1^o Aversio a Deo tanquam sine ultimo etiam in infimo gradu, peccatum mortale constituit : ergo, e contra, conversio ad Deum, etiam in infimo gradu, modo sit vera, seu charitate perfecta, justificationem operatur. 2^o Contritio perfecta remittit peccata in casu necessitatis, v. g. in articulo mortis, aiunt adversarii ; at virtutem suam in eo casu non desumit ex necessitate quæ potius eam imminueret, nec ex promissione Dei, ut opinari videtur *Estius*, siquidem nullus citari potest textus quo talis promissio innitatur : ergo ex natura sua hunc effectum producit, Deo ita ordinante : porro contritio perfecta ejusdem est naturæ in infimo et in summo gradu : ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1^o. Mulier peccatrix cujus fit mentio apud Luc. vii, 47, perfecte erat contrita, cum accessit ad Jesum, pedes ejus lacrymis irrigavit et capillis suis extersit : attamen Christus remittit ei peccata. Ergo.

R. Nego min. Christus dixit quidem mulieri : *Remittuntur tibi peccata*, sed nihil ostendit eum peccata post contritionem remisisse, potius quam declarasse coram hominibus ea jam remissa esse : imo posteriorem hunc sensum non dubie manifestat ; prius quippe dixerat Simoni : *Dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ergo.

Obj. 2^o. B. Paulus in via Damasci percussus, veram habuit contritionem, quando dixit, Act. ix, 6 : *Domine, quid*

me vis facere? et tamen Ananias dicit illi, Act. xxii, 16: *Exsurge, baptizare, et ablue peccata tua.* Ergo.

R. Nego conseq. Nam peccata vi contritionis perfecta non remittuntur ante Baptismum sine voto Baptismi qui est de præcepto divino: non mirum est ergo si Ananias remiserit Paulum ad Baptismum. Dixit autem ei: *Ablue peccata tua*, vel quia Baptismus erat complementum justificationis ejus, siquidem illum sine gravi peccato omittere non potuisset; vel quia non sciebat peccata ejus vi contritionis perfectæ fuisse remissa. Ergo eodem sensu Cornelius centurio, qui vocatur vir justus, et acceperat Spiritum sanctum, debuit baptizari; Act. x, 22, 24 et 48.

Obj. 3^o. SS. Patres pluribus in locis docent prius absolvi pœnitentes in terris quam in cœlis; v. g., *S. Bernardus*, Serm. 1 de sanctis Petro et Paulo, dicens de Petro: « Qui » claves regni cœlorum tam singulariter accepit, ut præcedat sententia Petri sententiam Cœli. » At si contritio perfecta per se justificaret, pœnitentes non prius absolventur, etc. Ergo.

R. Dist. min. Pœnitentes non prius absolventur, etc., quando adest contritio perfecta, *transeat*; non prius absolventur communiter, *nego min.* Etenim cum raro habeatur contritio per se justificans, optime SS. Patres dicere potuerunt pœnitentes prius absolvi in terris quam in cœlis et sententiam Petri præcedere sententiam Cœli. Ergo.

Eo sensu intelligendus est textus *S. Aug.* Tract. 13 in S. Joan. cap. 3: « Quantumcumque catechumenus proficiat, adhuc sarcinam suæ iniquitatis portat, nec illi dimittitur nisi cum venerit ad Baptismum, » supposito eum contritionem perfectam non habere, vel Baptismum negligere.

Diximus *transeat*, quia contritio perfecta non justificat, nisi votum sacramenti includat, ut dicendum est.

§ II.— An contritio perfecta votum sacramenti requirat ad operandam justificationem.

Quæstio hæc duo complectitur, scilicet 1^o an votum sacramenti requiratur; 2^o quale esse debeat.

1^o Votum sacramenti requiri patet 1^o ex Concilio Tridentino expresse dicente, sess. 14, cap. 4, « ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. » 2^o Ratione. Perfectus amor Dei necessario includit voluntatem cuncta ipsius mandata observandi: porro Deus præcepit susceptionem sacramenti Pœnitentiæ ad obtinendam remissionem peccatorum post Baptismum commissorum, *ut ex mox dicendis patebit.* Ergo.

2^o Disputatur an requiratur votum explicitum, an vero sufficiat implicitum. Probabilius est votum implicitum sufficere, idque insinuare videtur Concil. Trid. dicens, *quod in ea* (contritione perfecta) *includitur*; quod enim includitur in alio, est implicitum.

Ex hac necessitate voti confessionis non est inferendum, cum nonnullis antiquis theologis, peccata vi contritionis perfectæ non remitti nisi conditionaliter, quod in se repugnat, sed dari obligationem ea, per confessionem sacramentalem, clavibus Ecclesiæ quam primum moraliter submittendi.

§ III.— An contritio perfecta sit dispositio necessaria ad sacramentum Pœnitentiæ.

Magister Sententiarum alique theologo, sive ante Concilium Tridentinum, sive post concilium, sed in minori numero, partem affirmantem tenuerunt; alii vero omnes negant, eorumque sententia nunc communis est et certa.

PROPOSITIO.

Contritio perfecta, ex se justificans, non necessaria est ad sacramentum Pœnitentiæ.

Prob. 1^o omnibus momentis quibus demonstravimus sententiam absolutionis non tantum declarare peccata esse remissa, sed ea remittere. 2^o Concil. Trid.; dicitur enim in capite 4, sess. 14, *aliquando* contingere contritionem charitate esse perfectam hominemque Deo reconciliare: ergo non semper nec communiter est perfecta, proindeque

non requiritur tanquam dispositio necessaria ad sacramentum quod ordinarie suscipiendum est. 3^o Auctoritate cleri Gallicani qui, in comitiis anni 1700, damnavit propositionem in qua asserebatur « requiri ut præviam » contritionem illam quæ sit charitate perfecta, et quæ » cum voto sacramenti, antequam actu suscipiatur, hominem Deo reconciliat. » 4^o Ratione. Sacramentum Pœnitentiæ est sacramentum mortuorum : at, in hypothesi adversariorum, non esset sacramentum mortuorum, cum ad illud fructuose recipiendum peccatores jam justificati esse deberent. Ergo.

ARTICULUS TERTIUS.

DE CONTRITIONE IMPERFECTA.

Contritio imperfecta est animi dolor et detestatio peccati propter motivum supernaturalem, sed a charitate perfecta diversum, et dicitur attritio ; quæ vox cœpit usurpari in decimo tertio sæculo, ut probat *P. Morinus*, l. 8, cap. 12, n. 14. Apud omnes in confesso est eam per se non justificare : an vero specie vel gradu intensitatis tantum a contritione perfecta differat, disputant inter se theologi ; iudicabitur ex dicendis.

Concipi potest vel ex coconsideratione turpitudinis peccati, vel ex gehennæ et pœnarum timore, vel ex desiderio recuperandæ beatitudinis amissæ. Duas condiciones necessarias in ipsa postulat Concil. Trid., scilicet, *ut voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ.*

Mirum est quot exstiterint opiniones theologorum circa naturam hujusce contritionis ; sed his tanquam implicatis, obscuris et ad praxim minime pertinentibus, maxima ex parte sepositis, duo investigabimus, scilicet 1^o an attritio ex consideratione pœnarum gehennæ concepta, sit honesta ; 2^o an sufficiat cum sacramento ad justificationem.

§ I.— An attritio ex consideratione pœnarum gehennæ concepta, sit honesta.

Quadruplex distinguitur timor, scilicet mundanus, servilis, serviliter servilis et filialis. Mundanus ille est quo

temporale incommodum magis timetur quam offensa Dei ; servilis, quo pœna timetur, et peccatum ut causa pœnæ excluditur ; serviliter servilis ille est quo quis ita fugit peccatum, ut illud committere vellet si pœna non esset ; filialis ille est quo non pœna, sed amicitia Dei jactura metuitur.

Certum est 1^o metum filialem esse bonum et honestum.

Certum est 2^o metum mundanum esse vitiosum ; non minus vitiosus est metus serviliter servilis. *Ita omnes.*

Circa metum simpliciter servilem varii prodierunt errores. 1^o *Lutherus* affirmavit illum esse malum, et attritionem ex illo ortam facere hominem hypocritam et magis peccatorem : ab ea sententia postea recesserunt *Lutherani*, dixeruntque timorem pœnæ esse utilem, atque inde pœnitentiam inchoari. 2^o *Baius*, *Jansenius* et *Quesnel*, tenentes charitatem, non solum habitualement sed et actualiter, necessariam esse ad omnem actum ut non sit peccaminosus, docent timorem simpliciter servilem in se bonum esse, quia gehenna vere timenda est : sed malum fieri eo quod non procedat ex charitate saltem initiali ; ideoque naturalem esse et voluntatem peccandi includere, quia licet maum cohibeat, non tollit affectum ad peccatum intimo cordis latitantem.

PROPOSITIO.

Attritio ex metu servili gehennæ concepta, honesta est ; supernaturalis esse potest, et voluntatem peccandi non includit.

Prob. 1^o. Honestam est. 1^o Enim Christus variis in locis eam commendat, v. g., Matth. III, 10 : *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur ;* et ibid. X, 28 : *Sed potius time eum qui potest et corpus et animam perdere in gehennam.* 2^o *S. Aug.* Tract. 9 in *S. Joan.* n. 4 : *Timor quasi locum præparat charitati : ergo non est malus in se.* 3^o Concil. Trid., quod, sess. 6, can. 8, anathemate percussit eos qui dicerent « gehennæ metum, » per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo

» confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, » aut peiores facere. » Ergo.

2^o Supernaturalis esse potest. Nam a Deo inspirari potest, ut patet 1^o ex oratione Psalmistæ, Ps. cxviii, 120: *Confige timore tuo carnes meas; a iudiciis enim tuis timui.* 2^o Ex verbis Christi apud Luc. xii, 5: *Ostendam autem vobis quem timeatis; timeate eum qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.* 3^o Ex Concil. Trid. dicente, sess. 14, c. 4, eam esse *donum Dei et Spiritus sancti impulsum.* Aliunde motivo fide cognito innititur. Ergo 2^o.

3^o Voluntatem peccandi non includit, ut constat 1^o Eccli. i, 27: *Timor Domini expellit peccatum;* 2^o ex canone Concil. Trid. superius citati; 3^o S. Aug., Sermon. 161 de Verbis Apostoli: « Timor iste quo gehennam times et » ideo mala non facis, continet te et sic volentem peccare » animum interiore non sinit. » 4^o Timor gehennæ efficacax expellit id omne quod ducit ad gehennam: ergo et ipsam voluntatem peccandi, quantumvis latitantem in corde.

Animadvertendum est bonum proprium volitum et timorem gehennæ producens non habere rationem finis ultimi; tunc adesset timor serviliter servilis; sed tantum rationem finis proximi. Timor vero de quo agitur non est nisi *medium* ad fugiendum peccatum, quod non est inordinatum. Si non adesset, forte mens non moveretur ad peccatum fugiendum. Sed exinde timor ille non vitiat, nec quærendum est quid in aliis circumstantiis locum haberet.

Unde S. Th. 2 2, q. 19, art. 4, concl. « Timor servilis » secundum suam substantiam bonus est, sed servilitas » ejus mala est. » Ergo.

Constat igitur attritionem ex metu servili gehennæ esse honestam, supernaturalem esse posse, atque voluntatem peccandi non includere, a fortiori talis est attritio ex consideratione turpitudinis peccati vel ex amore spei, seu Dei, propter nos quæsi concepta, ac proinde nulla est ratio cui in his probandis immoremur.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1^o. B. Paulus ait, II Tim. i, 7: *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis.* Ergo in nova Lege timor est malus.

R. Nego conseq. Ibi enim Apostolus monet discipulum ut resuscitet gratiam Dei in se, et officiis episcopi recte fungatur: vult igitur ut sciat se non accepisse a Deo spiritum timoris, id est timiditatis, ut fert textus græcus, sed spiritum seu donum dilectionis et sobrietatis, scilicet, ad opus ministerii sui fortiter sustinendum: hic ergo minime agitur de timore gehennæ.

Obj. 2^o. B. Paulus, Rom. viii, 15: *Non accepistis, inquit, spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum.* Ibi Apostolus timorem charitatis opponit: ergo malus est timor.

R. Dist. ant. Opponit timorem charitati, ut minus perfectum perfectiori, *conc.*; ut malum hono, *nego ant.* Etenim Apostolus, volens ostendere legem Evangelicam multo præstare veteri Lege, dicit donum timoris datum fuisse Hebræis tanquam servis, et adoptionem, seu gratiam sanctificantem, Christianis qui facti sunt filii: porro ex verbis B. Pauli sic intellectis non sequitur timorem esse malum, *ut patet*: ergo.

Inst. I Joan. iv, 18, hæc habet: *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet.* Unde sic: Timor manere non potest in charitate, et pœnam habet seu meretur: ergo malus est.

R. Nego conseq. Ideo quippe timor in perfecta charitate manere non potest, quia non habet objectum; qui enim ex fide considerat gehennam, eam valde reformidat, præsertim si nondum sit justificatus; at charitate perfecta accedente, jam non timet damnari, sed fiduciam habet salutis: sic fides, adveniente visione beatifica, evanescet, et tamen est bona: ergo, licet timor per charitatem foras mittatur, non sequitur illum esse malum. Dicitur autem habere pœnam, vel quia cruciat animum, vel quia mala quæ timentur semper exhibet

Obj. 3^o. Qui timet culpam ob pœnam, plus timet pœnam quam culpam : atqui malum est plus timere pœnam quam culpam : ergo.

R. Nego maj. et dico illum simul timere gehennam et culpam, gehennam primarie et culpam tanquam ipsius causam : vult efficaciter vitare gehennam ; propterea omnem deponit affectum ad culpam : igitur comparationem inter utrumque non instituit, nec dicit intra se : Peccarem si gehenna non esset. Ergo.

Inst. 1^o. Propter quod unumquodque tale, et illud magis, est axioma receptum : ergo si timeat culpam ob gehennam, plus, etc.

R. Dist. axioma. Propter quod unumquodque tale exclusive, et illud magis, *conc.* ; propter quod unumquodque tale simpliciter, et illud magis, *nego axioma.* Etenim qui vult aliquid exclusive ob talem causam, hanc causam magis intendit, *ut patet* : at si quid velit ob eandem causam, sed simpliciter et non exclusive, non sequitur quod illam magis velit. Res illustratur exemplis : aliquis sumit medicinam exclusive ob sanitatem, vel merces projicit in mare unice ad salvandam vitam ; evidens est illum pluris facere sanitatem quam medicinam, et vitam quam merces : sed alter diligit herum simpliciter propter mercedem, vel Deum ob felicitatem quam ab illo expectat ; non sequitur illum pluris æstimare mercedem quam herum, aut felicitatem quam Deum : porro ita est qui fugit peccatum simpliciter ob metum gehennæ ; non sequitur illum plus timere gehennam quam peccatum. Ergo.

Inst. 2^o. Timor gehennæ, teste passim, *S. Aug.*, cohibet manum, non voluntatem : ergo voluntatem peccandi non excludit, proindeque malus est.

R. Dist. ant. Timor serviliter servilis non cohibet voluntatem, *conc.* ; timor simpliciter servilis, *subdist.* Non cohibet voluntatem habituaalem, cum sola contritio perfecta per se justificet, *conc.* ; non cohibet voluntatem actualem peccandi, *nego*, innixus 1^o Conc. Trid., sess. 14, cap. 4 ; 2^o *S. Aug.* in Ps. cxxvii : « Cum per timorem continent se a peccato, fit justitiæ consuetudo ; » 3^o ratione ;

quia timor sincerus gehennæ debet excludere quidquid gehennam meretur, proinde actualem voluntatem peccandi. Voluntas habitualis, quam fatemur timorem non excludere, solum afficit subjectum, non vero actum timoris ; nec igitur illum vitiat. Ergo.

§ II.— An attritio ex metu gehennæ concepta, ad justificationem sufficiat cum sacramento Pœnitentiæ.

Multi, maxime post Concilium Trid., æstimaverunt attritionem, ex consideratione turpitudinis peccati vel ex metu gehennæ conceptam, modo voluntatem peccandi excludat, ad justificationem in sacramento Pœnitentiæ percipiendam sufficere. *Dominicus Soto* et *Andreas Vega* exigebant, ut conditionem essentialem, attritionem istam bona fide æstimari contritionem, *Melchior Canus* vero contendit eam cognitam ut simplicem attritionem, nihilominus sufficere. Qui huic opinioni subscripserunt vocati sunt *Attritionistæ*.

Alii vero multo plures, et nunc communissime, docent attritionem, sive ex consideratione turpitudinis peccati, sive ex metu gehennæ conceptam, sine ullo amore Dei saltem inchoato, insufficientem esse.

Qualis autem amor requiratur, inter se non consentiunt. Præter amorem charitatis seu amicitiae per se justificantem, distinguunt amorem spei et amorem benevolentiae. Amor spei, qui etiam dicitur amor concupiscentiae, ille est quo Deus diligitur respectu ad nos, tanquam creator, beneficus aut renumerator noster. Amor benevolentiae est quoddam initium amoris perfecti, et idcirco dicitur charitas initialis. Hoc est discrimen inter utrumque amorem, scilicet perfectum et benevolum, quod perfectus vera sit amicitia et unionem affectuum cordis Dei et cordis hominis supponat ; benevolus autem sit actus simplex voluntatis quo bonum Dei intendimus, abstrahendo a redamatione ex parte ejus.

Quidam dicunt solum amorem spei sufficere cum attritione ad obtinendam justificationem in sacramento Pœnitentiæ. *Alexander VII* stricte prohibuerat, anno 1667, ne

hæc opinio, quæ tunc sat communis erat, aliqua afficeretur nota. Alii vero nunc communius requirunt amorem benevolentiae seu initialem, quo Deus incipiatur diligere propter se et super omnia.

PROPOSITIO.

Sola attritio, sive ex consideratione turpitudinis peccati, sive ex metu gehennæ concepta, ad justificationem in sacramento Pœnitentiæ obtinendam non sufficit, nisi aliquem contineat amorem Dei, sive spei, sive benevolentiae.

Prob. 1º Scriptura sacra. I Joan. III, 14 : Qui non diligit, manet in morte; I Cor. XVI, 22 : Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sicut anathema. Ergo quisquis Deum non amat, saltem aliquo modo, justificari non potest. Fatemur tamen probationem ex his textibus deductam non esse inconcussam : qui enim non diligit, manet in morte, et dignus est anathemate. At inde sequitur non adhuc diligentem, sed de peccato dolentem et propositum de cætero non peccandi habentem, vi absolutionis ad amorem transire non posse?

Prob. 2º Concil. Trid., sess. 6, cap. 6, ubi exponens dispositiones ad obtinendam justificationem in sacramento Baptismatis necessarias, exigit ut peccatores Deum, tanquam omnis justitiæ fontem, diligere incipiant. Porro eadem dispositiones certe requiruntur ad obtinendam justificationem in sacramento Pœnitentiæ : ergo.

Prob. 3º SS. Patribus. S. Aug., Exposit. Epist. ad Galatas, n. 1 : « Non aufert peccata nisi gratia fidei, quæ per dilectionem operatur. » Ergo sine dilectione justificatio obtineri non potest.

Prob. 4º auctoritate cleri Gallicani qui, in comitiis anni 1700, sequentem damnavit propositionem : « Attritio ex metu gehennæ sufficit, etiam sine ulla Dei dilectione, sine ullo ad Deum offensum respectu. » « Quæ propositio, inquit clerus Gallicanus, temeraria est, scandalosa, pernicioza et in hæresim inducit. » Ergo.

Prob. 5º ratione. 1º Justificatio obtineri non potest,

nisi vera sit conversio ad Deum : at non intelligitur quomodo vera esset conversio ad Deum sine ullo ipsius amore, ne quidem inchoato. 2º Sententia quæ tenet attritionem sine amore sufficientem esse cum sacramento, nullo nititur fundamento alicujus ponderis ; præcipuum enim argumentum suum desumunt adversarii ex cap. 4, sess. 14 Conc. Trid., ubi dicitur de attritione quæ per se sine sacramento Pœnitentiæ peccatorem non justificat : « Tamen » eum ad Dei gratiam in sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit ; » et nulla fit mentio de necessitate dilectionis : sed Concilium necessitatem dilectionis pariter non negat ; dicit quidem attritionem ex metu conceptam, ad justificationem in sacramento obtinendam disponere ; non autem affirmat eam sufficere, nec contradicit assertioni cap. 6, sess. 6, ubi docet Deum diligendum esse tanquam fontem omnis justitiæ. Porro in materia tanti momenti pars tutior est eligenda : ergo.

Multi alia fieri solent argumenta ad astruendam propositionem nostram ; sed cum fere omnia intelligi possint de statu gratiæ vel de charitate perfecta, nimis probant : igitur ab illis abstinemus.

Non concipitur aliquem veniam a Deo petere et sperare, quin incipiat Deum amare *tanquam justitiæ fontem.*

Qualis autem amor requiratur, an amor spei sufficiat, an amor initialis sit necessarius, definire non aggredimur : semper hortandi sunt fideles ad sacramentum Pœnitentiæ accedentes, ut Deum propter se diligant vel saltem diligere incipiant : confessarius autem anxius esse non debet circa naturam amoris in pœnitente existentis.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1º. Filius prodigus cujus historia legitur apud Luc. v, est figura peccatoris ad Deum revertentis : atqui misericordiam a patre suo obtinuit, licet solo metu mortis et impatientia famis ad eum accesserit : ergo a pari, etc.

R. 1º. Hoc argumentum probaret justificationem sine ullo amore Dei obtineri posse, etiam extra sacramentum Pœnitentiæ, quod adversarii negant.

R. 2º. Nego min. Non dicitur enim prodigum nullum habuisse amorem erga patrem suum; legitur quidem illum fame et miseria motum fuisse ut ad eum recurreret: at simul eum diligere potuit, et verisimiliter eum saltem aliquo modo diligebat, quando dixit *ŷ. 21: Pater, peccavi in cœlum et coram te; jam non sum dignus vocari filius tuus.*

Aliunde negari posset consequentia, quia parabolæ ultra punctum comparationis urgeri non debent: exemplum autem prodigi affertur ut ostendatur exultandum esse quando peccatores ad Deum revertuntur, ipsosque a Deo bene suscipiendos fore. Ergo.

Obj. 2º. B. Paulus, Rom. III, 20 et 22, ait hominem justificari sine operibus Legis, gratis per gratiam: atqui dilectio est opus Legis: ergo.

R. 1º. Iterum sequeretur dilectionem etiam extra sacramentum non requiri.

R. 2º. Dist. ant. B. Apostolus dicit hominem justificari sine operibus Legis, id est, sine circumcissione aliisque cæremoniis antiquæ Legis, *conc.*; sine ulla dilectione, *nego.* Etenim ibi Apostolus, tractans de excellentia legis Evangelicæ præ lege Mosaica, docet nunc hominem *gratis* justificari per gratiam Dei, sine operibus in antiqua Lege impositis: non dicit autem nullum amorem esse necessarium. Ergo.

Obj. 3º. Amor spei seu concupiscentiæ est vitiosus: ergo non sufficit.

R. 1º. Cum definire noluimus an ille amor sit sufficiens, necne, objectio ista aliæque similes frustra nobis proponuntur; eas solvere non tenemur.

R. 2º. Nego ant. Ratio enim dictat benefactores esse diligendos: Deus autem est summe beneficus erga nos: ergo.

Inst. 1º. Amore spei Deus ad nos refertur: atqui talis relatio est vitiosa: ergo.

R. Dist. maj. Amore spei Deus ad nos refertur tanquam ad subjectum quod sola possessione ejus beari potest, *conc.*; tanquam ad finem Dei ipsius ultimum, quasi illum

nobis postponeremus, *nego maj.* Eodem sensu distincta minore, *nego conseq.* Nulla enim est inordinatio in eo quod Deus ad nos sic referatur, siquidem hoc ipsi gloriosum est. Ergo.

Inst. 2º. Amor spei seu concupiscentiæ est mercenarius: ergo est vitiosus.

R. Nego conseq. Quamvis enim aliquo sensu sit mercenarius, perfectiorem amorem non excludit: licet autem servire Deo *propter retributionem*, ut ait Psalmista, Ps. cxviii, 112. Cur ergo amor ille esset vitiosus?

Inst. 3º. Si amor spei ad justificationem sufficeret, inde sequeretur salvari posse hominem qui nec semel in vita magnum præceptum charitatis implevit: atqui hoc repugnat: ergo.

R. 1º. Retorquet argumentum. Si amor perfectæ charitatis non requiratur ad obtinendam justificationem in sacramento Poenitentiae, sequitur hominem qui præceptum perfectæ charitatis nunquam implevit, nihilominus salvari posse, nempe si in articulo mortis sacramentum Poenitentiae cum attritione et amore initiali suscipiat: atqui tamen hoc adversarii non concedent: ergo.

R. 2º. Nego illationem. Nam 1º qui ope attritionis et sacramenti justificatur, gratiam sanctificantem obtinet, sicque *ex attrito fit contritus*, ut fert axioma, id est, in charitate perfecta habituali constituitur: dici autem non potest eum qui perfectam habet charitatem habitualement, magnum charitatis præceptum non implere. Charitas habitualis in adulto sensibus prædito non est iners; ad elicendum actum ex natura sua tendit: ipsa gratiæ sanctificantis per absolutionem recuperatæ acceptatio, est actus charitatis. Ergo, etc.

CAPUT QUARTUM.

DE CONFESSIOE.

Confessio sacramentalis, de qua sola hic agitur, definiri potest: *Accusatio legitima propriorum peccatorum post*